Zur Theilnahme

an der

öffentlichen Prüfung

des

Gesammtgymnasiums zu Jever

ladet gehorsamst ein

der Director der Anstalt

L. H. O. Müller.

Inhalt:
- Eine Abhandlung des Professors Dr. König: De Cicerone in Verrinis artis operum aestimatore [redacted]
- Bericht über das Schuljahr von Ostern 1862 bis Ostern 1863. Vom Director.

Jever, 1863.

Druck von C. L. Mettcker & Söhne.

De

Cicerone in Verrinis artis operum aestimatore et iudice

scripsit

F. S. C. KÖNIG.

In orationibus Verrinis, quas una et consentiens virorum doctorum vox praestantissimis veterum oratorum scriptis adnumerat, quarta illa quae de signis inscribitur tum aliis splendet virtutibus, tum multa praebet praesidia atque adiumenta ad historiam artis antiquae accuratius cognoscendam. Versatur enim tota in perstringenda avaritia et impudentia, qua Verres per triennium, ut insatiabilem statuarum, tabularum pictarum, vasorum Deliacorum Corinthiorumque, omnis generis artificiorum cupiditatem expleret, privatorum aedes spoliavit, oppida ornamentis nudavit, Deorum templa depeculatus est. Vix igitur quidquam in omni antiquitate reperies, ex quo melius quam ex hac oratione, quantopere artes floruerint in Sicilia quamque praeclara ibi exstiterint artis opera, discas.

Ut res quae hac oratione continentur legentium animos magnopere tenent et delectant, sic elocutionis virtutes, elegantia, compositio et dignitas haud scio an maximam laudem mereantur. Duae autem res sunt, quae primo adspectu admirationem moveant.

Ac primum quidem mirari licet, cur Cicero, quum omnes Siculi diem Verri dixissent praeter Mamertinos et Syracusanos, quasi eorum patrocinium tueretur qui praedonem istum non persequerentur accusarentve, id potissimum egerit, ut quantae iniuriae his duabus civitatibus illatae essent, demonstraret. Cuius rei causam non est quod multis verbis explicem. Quivis enim intelligit non potuisse hac ratione fieri, quin quid perpessi essent adversarii, clarius appareret. Propter eandem causam facinora in privatos homines commissa enumerans primo loco posuit signa, tabulas, alia artis opera Heio Mamertino erepta, et in extrema oratione facta civitatum expilatarum mentione miserrimam Syracusanorum direptionem commemorat.

Deinde est quod mireris Ciceronem ita de artis operibus loqui, ut rerum, quae ad artes in effingendis formis versantes spectant, gnarus intelligensque videri nolit. Etenim quod clarissimorum pictorum sculptorumque nomina pronuntiet se excusat, eademque vel ignorare

se fingit vel tunc primum didicisse. Mentione facta Praxitelis, summi illius artificis, Nimirum, inquit, didici etiam dum in istum inquiro artificum nomina. Verrin. IV, c. 2 § 4, et commemorato Hercule ex aere egregie facto addit: is dicebatur esse Myronis ut opinor c. 3 § 5. Tantum abest, ut nobilissimi Graecorum artifices laude digni videantur, ut gaudeat Verris aestimatione concidisse haec praeclara nomina artificum (Praxitelis, Myronis, Polycleti), quae isti ad coelum ferant. cap. 6 § 12. Quasi nomen Polycleti oblitus sit, quaerit ex adstantium aliquo: Sed earum artificem, quem? quemnam? recte admones: Polycletum esse dicebant. c. 3 § 5. Tum ne quis putet ipsum valde artis operibus delectari, facit aliquem interrogantem: quid tu ista permagno aestimas? Cui respondet: ego vero ad meam rationem usumque non aestimo. cap. 7. Denique artis scientiam contemnendam esse disertis verbis pronuntiat: Tametsi hoc nescio quid nugatorium sciebam ista intelligere. c. 14 § 33. Tandem artis operum aestimatorem peritum se esse negat: Erat etiam Stesichori poetae statua senilis, incurva, cum libro, summo, ut putant, artificio facta. — Etiam, quod paene praeterii, capella quaedam est, ea quidem mire, ut etiam nos qui rudes harum rerum sumus, intelligere possimus, scite facta et venuste. Verrin. II, § 87. Ibi est ex aere simulacrum ipsius Herculis, quo non facile dixerim quidquam me vidisse pulchrius — tametsi non tam multum in istis rebus intelligo, quam multa vidi. IV, c. 43 § 94.

Multa se vidisse iure de se praedicare poterat. Viderat non solum Romae et in Sicilia, sed etiam per diuturnam, quam per Graeciam et nobilissimas Asiae urbes fecerat, peregrinationem permulta artis opera maximorum artificum manibus perfecta. *) Quid igitur? Cicero qui probe sciret omnes artes quae ad humanitatem pertinent commune quoddam

*) Ante quaesturam suam Cicero biennium per Graeciam et Asiam iter fecit. Athenas quum venisset, adeo huius urbis, quam postea saepius adiit, commodis et ornamentis captus est, ut per sex menses ibi commemoraretur. Libenter se redire in iucundam illius temporis memoriam, quo in hac celebratissima Musarum sede versatus sit, Athenas earumque monumenta valde sibi placere velleque ibi esse aliquod monumentum sui, iterum iterumque Attico scribit. cf. ad Attic. V, 10. VI, 1. Relictis Athenis tum alias Graeciae et Asiae oppida peragravit, tum se contulit Rhodum, insulam artis operibus abundantem, ubi Plinii aetate tria milia signorum supererant. Plin. Hist. N. XXXIV, cap. 7, segm. 17. In hac igitur peregrinatione praestantissima artis opera cognovit neque exiguam cum iis familiaritatem contraxit. Quam rem haud scio an ipse his verbis indicet: *Quid arbitramini Rheginos, qui iam cives Romani sunt, merere velle, ut ab iis marmorea Venus illa auferatur? Quid Tarentinos, ut Europam in tauro amittant, ut Satyrum, qui apud illos in aede Veste est, ut cetera? quid Thespienses, ut Cupidinis signum, propter quod unum visuntur Thespiae? quid Cnidios, ut Venerem marmoream? quid, ut pictam, Coos? quid Ephesios, ut Alexandrum? quid Cyzicenos, ut Aiacem aut Medeam? quid Rhodios, ut Jalysum? quid Athenienses, ut ex marmore Jacchum aut Paralum pictum aut ex aere Myronis buculam? Longum est et non necessarium commemorare, quae apud quosque visenda sint tota Asia et Graecia.* Verrin. IV, cap. 60. § 135.

habere vinculum et quasi cognatione quadam inter se contineri, num revera artes quae in formis effigendis versantur contemsisse censendus est? Minime vero. Nam primum ex ipsis Verrinis apparet, quamvis neque artis scientiam neque aestimandi peritiam vindicare sibi velit, eum ad sensum elegantiae et venustatis, quae signis, tabulis pictis, aliis artis operibus inesset, minime fuisse obtusum. Fatetur enim se visere solitum esse artis opera*), nimirum ut eorum adspectu oculos pariter atque animum pasceret; haud dissimulat, licet in numero intelligentium hominum haberi nolit, ex his spectandis quam ceperit delectationem, Verrique illudens IV, § 98: Tu videlicet, inquit, solus vasis Corinthiis delectaris, tu illius temperationem, tu operum lineamenta sollertissime perspicis . . . . sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine literis intelligis et iudicas. Plerumque ille quidem non multus est in laudandis artis operibus, sed hoc illud simulacrum dicit esse pulcherrime, praeclare, summo artificio singularique opere perfectum. Maximis laudibus effert Dianae simulacrum, quod his verbis describit: Fuit apud Segestanos ex aere Dianae simulacrum quum summa atque antiquissima praeditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum. Hoc translatum Carthaginem locum tantum hominesque mutarat, religionem quidem pristinam conservabat; nam propter eximiam pulchritudinem etiam hostibus digna quam sanctissime colerent videbatur. — Erat admodum amplum et excelsum signum cum stola, verum tamen inerat in illa magnitudine aetas atque habitus virginalis. Sagittae pendebant ab humero; sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem praeferebat. cap. 33 sq. Ut haec descriptio minime improbanda est, sic etiam Canephorae perite describuntur. cap. 3.

Deinde ex epistolis ad Atticum scriptis Ciceronem artis operibus valde delectatum esse intelligimus. In iis enim epistolis, quas ante consulatum suum ad amicum in omni iudicio elegantissimum dedit, iterum iterumque rogat, ornamenta Tusculano ut curet, eaque sibi maxime placere dicit, quae γυμνασιώδη sint, i. e. quae gymnasio conveniant. cf. ad Attic. I, 5. 6. 7. In octava epistola postquam Atticum certiorem fecit se sestertium viginti milia quadringentos Cincio, Attici procuratori, pro signis Megaricis solvisse sibique Hermas Pentelicos valde placere, haec addit: quare velim et eos (Hermas) et signa et cetera, quae tibi eius loci et nostri studii et tuae elegantiae esse videbuntur, quam plurima quam primumque mittas et maxime, quae tibi gymnasii xystique videbuntur esse. Nam in eo genere sic studio efferimur, ut abs te adiuvandi, ab aliis prope reprehendendi simus. Hortatur Atticum, ut arcae confidat suae i. e. confidat ipsum

---

*) Verrin. IV, § 128: *Quid? ex aede Liberae (pueri* Jacchi) *caput illud pulcherrimum, quod visere solebamus, num dubitasti tollere? — Quid? signum Paeanis ex aede Aesculapii praeclare factum, sacrum ac religiosum, non sustulisti? quod omnes propter pulchritudinem visere, propter religionem colere solebant.* IV, § 4: *quae non modo istum hominem ingeniosum atque intelligentem, verum etiam quemvis nostrum, quos iste idiotas appellat, delectare possent.*

praesenti pecunia, non ex mensa argentariorum soluturum esse epist. 9, iterum iterumque monet, ut signa et Hermeraclas et si quod aliud *οἰκεῖον* eius loci, quem non ignoret, repererit, quam primum sibi mittat. Praeterea typos quos in tectorio atrioli includat et putealia sigillata duo desiderat, epist. 10. 11. Denique Hermathenam sibi gratam fore pronuntiat, epist. 14; tandem Attico gratias agit pro hermis et signis diligenter parvoque sibi curatis, ep. ad Attic. I, 3.

His igitur expositis Ciceronem artis operibus delectatum esse intellectum puto. At vero eundem harum rerum valde studiosum fuisse negat O. Müllerus Hist. artis pag. 171. Quam sententiam ut confirmet, laudat epistolam ad famil. lib. VII. 23, qua Cicero cum Fabio Gallo de signorum ab ipso emtorum delectu et pretio expostulat. Etenim Gallus pro tabulis pictis, quas Ciceroni curare debebat, Bacchas tres et Martem emerat. Idem Damasippum haec signa, si minus placerent Ciceroni, emturum esse scripserat. Jam vero pulcherrime quidem facta erant haec signa, quippe quae viro elegantissimi ingenii probarentur, nihilominus tamen, quantum in ista erogatum sit, tanti se genus omnino signorum omnium non aestimare Cicero rescribit. Quid igitur? Num Ciceronem haec artis opera parvi fecisse censebimus? Non parvi aestimabat, sed non insaniebat ut Damasippus (Horat. sat. II, 3.) veteres statuas emendo. Res familiaris quum non tanta esset, ut quaecunque sibi placerent acquirere posset, ea signa emere solebat, quae ad similitudinem gymnasiorum exornarent ipsi in palaestra villae Tusculanae locum. Imprimis tabulas pictas desiderabat, quae exedriis in porticula Tusculani ornamento essent *). Cuius instituti quum Gallus ignarus fuisset, alia artis opera atque Cicero desideraverat emit. Nihilominus tamen, quae erat illius viri humanitas, non modo quae se emisse scripserit Gallus rata sibi fore, sed etiam grata affirmat **).

Tandem reliqua Ciceronis scripta tantum abest, ut rudem et ignarum rerum, quae ad artes spectant, eum fuisse ostendant, ut multiplicem qua instructus fuit doctrinam praedicent. Vel ex dicendi genere, quo utitur, quanto amore pingendi et fingendi artes amplexus sit apparet. Troporum, in quibus maximus est orationis ornatus, uberrimum esse in illius libris fontem quis ignorat? Jam vero summus ille dicendi artifex nihil frequentius ad rem oratoriam transferre solet, quam metaphoras ex arte pictorum vel statuariorum petitas. Ne multis morer: orationem suavissimo verborum ornatu figuratam et instructam dicit claris coloribus pictam. de Orat. III, 25; Quinto fratri scribit se picturum coloribus illius, penicillo suo. II, 15; luminibus saepissime orationem illustrat; Catonis lineamentis (Skizze, Umriss) nihil nisi eorum pigmentorum quae inventa nondum fuerint florem et colorem defuisse

---

*) *Exedria quaedam mihi nova sunt instituta in porticula Tusculani. Ea volebam tabellis ornare; etenim si quid generis istiusmodi me delectat, pictura delectat.*

**) Quod Gallus emerat τραπεζόφορον, non recusavit ille quidem, addit tamen: *Ista quidem summa nae ego multo libentius emerim deversorium Terracinae, ne semper hospiti molestus sim.*

censet Brut. c. 87; numerum oratorium serius aliquanto notatum et cognitum quasi quandam palaestram et extrema lineamenta (die letzten Pinselstriche, das letzte Meisselspiel) orationi attulisse iudicat. Orat. c. 58.

De artificibus eorumque arte multa egregia iudicia tulit. Pictores et artis amatores inter se comparans quam multa, inquit, pictores vident in umbris et eminentia, quae nos non videmus? Acad. II, 7, 20. Nequaquam vero censet neminem de artis operibus iudicare posse nisi artifices. Omnes enim tacito quodam sensu sine ulla arte aut ratione, quae sint in artibus ac rationibus, recta ac prava diiudicant, idque quum faciunt in picturis et in signis et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti, tum multo ostendunt magis in verborum, numerorum, vocumque iudicio. de Orat. III, 50, 195. — ad picturam probandam adhibentur etiam inscii faciendi cum aliqua sollertia iudicandi. de Optim. Gen. Or. c. 4. In Verrinis ipse quidem ita de signis et tabulis pictis loquitur, ut de propria cuiusque artificis virtute nihil discas; in aliis vero scriptis de diversa insignium statuariorum, sculptorum, pictorum indole et natura multa egregie observat. Ut paucis utar exemplis, Una fingendi est ars, inquit, in qua praestantes fuere Myro, Polycletus, Lysippus, qui omnes inter se dissimiles fuerunt, sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. Una est ars ratioque picturae dissimillimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles; neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua deesse videatur. de Orat. III. 7, 26 *). Cum hoc loco comparandum est iudicium, quod de iisdem statuariis et de antiquioribus artificibus fertur Brut. c. 18. Accuratius singulorum artificum manus pensans et diiudicans Canachi signa rigidiora esse ait, quam ut imitentur veritatem; Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora, quam Canachi; nondum Myronis satis ad veritatem adducta, iam tamen, quae non dubites pulchra dicere; pulchriora etiam Polycleti et iam plane perfecta. Idem fere senserunt Quintil. Inst. orat. lib. XII, 10. Plin. Hist. Nat. XXXIV, c. 8. s. 19 **). Inter pictores Zeuxis, Polygnoti,

---

*) Verissime de hoc loco iudicat Stahrius (Torso, t. 2. pag. 194), cuius verba haec sunt: Mit dieser Bemerkung, die Cicero auch auf das Gebiet der Poesie überträgt, wo er von den römischen Dichtern Ennius, Pacuvius und Attius und von den drei grossen griechischen Tragikern Aeschylos, Sophocles und Euripides dasselbe sagt, ist die Vielgestaltigkeit des Schönen und der Kunst in der Erscheinung und die Berechtigung der Eigenthümlichkeit des schaffenden Künstlers, das was wir in der Aesthetik Styl und Charakter nennen, ausgesprochen.

**) Quintil. l. l. *Duriora et Tuscanicis proxima Callon atque Hegesias, iam minus rigida Calamis, molliora adhuc supra dictis Myron fecit. Diligentia ac decor in Polycleto supra ceteros, cui quamquam a plerisque tribuitur palma, tamen ne nihil detrahatur, deesse pondus putant.*

Plin. de Polycleto: *Hic consummasse hanc scientiam iudicatur et toreuticen sic erudisse, ut Phidias aperuisse.*

Plin. de Myrone: *Primus hic multiplicasse veritatem videtur, numerosior in arte, quam Polycletus, et in symmetria diligentior; et ipse tamen corporum tenus curiosus, animi sensus non*

Timantis et eorum qui non sint usi plus quam quatuor coloribus, formas et lineamenta laudari oportere, at in Echione, Nicomacho, Protogene, Apelle iam perfecta esse omnia contendit. Quod iudicium quis est qnin probet*)? In legibus indagandis, quas sibi scripserint artifices, num aeque subtiliter semper versatus sit, equidem dubito. Mira illa quidem est narratio de Zeuxide, quem dicit a Crotoniatis, nt Helenae simulacrum ipsis pingeret, rogatum quinque sibi elegisse virgines formosissimas, quia non putaverit omnia quae quaereret ad venustatem uno in corpore se reperire posse. de Invent. II, 1. Attamen praeclare de Phidia: *Nec vero ille artifex, quum faceret Jovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigebat***). Orat. c. 2, 9. Phidiae simulacris quidquam in hoc genere esse esse perfectius negat. cf. Brut. 64. Acad. II, 47. Fin. II, 34. Laudibus effert Alcamenis

expressisse, capillum quoque et pubem non emendatius fecisse, quam rudis antiquitas instituisset. — Brunn, Histor. graec. artif. I. pag. 154. laudatis Ciceronis et Quintiliani sententiis ita pergit: Bei der Würdigung dieser Urtheile in ihrem Verhältnisse zu denen des Plinius dürfen wir uns wohl erlauben, in Betreff ihrer Auctorität einen Unterschied zu machen. Plinius theilt uns aus seinen vortrefflichen Quellen (hier aus Varro) ein wirkliches Kennerurtheil mit, die beiden Rhetoren halten sich mehr an das Urtheil des Kunstgeschmackes ihrer Zeit, mehr der ästhetischen, nicht streng künstlerisch gebildeten Kunstliebhaber. — Wie ein durch Süssigkeit verwöhnter Gaumen einen herben Wein verachtet, so musste ein durch die Weichheit praxitelischer Gebilde verwöhnter Kunstgeschmack an der Herbigkeit und Strenge eines Myron nothwendig Anstoss nehmen. Cicero selbst ist nicht ohne Sinn für diese Vorzüge der älteren Kunst, wie er denn z. B. seine Freude an dem pun. Kriege des Naevius mit der an einem Werke des Myron vergleicht (Brut. c. 19). Aber seinen Zeitgenossen gegenüber wagt er kaum die Kunst eines Polyclet in allen Beziehungen vollendet hinzustellen. cf. etiam de Polycleto Brunn I, p. 231.

*) Praestantissimis artificibus adnumeravere *Echionem* (sive Aetionem cf. Brunn II, p. 243) Plin. H. N. XXXV, 7, s. 32. *Nicomachum* Plutarch. mul. virt. Vita Timol. 36. *Protogenem* Plin. XXXV, 10, s. 36. Apellem omnis antiquitas.

**) Verba Ciceronis *Itaque et Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, et his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulchriora* non recte interpretatus est Stahrius haec disserens Torso II, p. 193: Ja wir ertappen ihn (Cicero) sogar unmittelbar nach (?) jenem trefflichen Worte über Phidias „dass dieser hohe Meister aus der Tiefe der ihm innewohnenden Schönheitsidee seine Athene Parthenos und seinen olympischen Jupiter geschaffen habe“ auf der wunderlichen, fast ans Alberne streifenden Behauptung: „es gebe kein vollendetes Kunstwerk, da der Beschauer selbst beim Anblick der herrlichsten Werke eines Phidias immer noch mit seiner Vorstellung über dieselben hinausgehen und sich noch schönere, noch vollendetere Werke denken könne.“ Ex iis quae antecedunt verbis luce clarius apparet Ciceronis sententiam hanc esse: nihil esse plane perfectum atque numeris absolutum praeter species et formas, quae animo teneantur. Phidiae igitur simulacra licet sint egregia, tamen plane perfecta dici non posse, quia inferiora sint specie pulchritudinis menti infixa, ad cuius similitudinem artifex ille artem et manum direxerit.

Vulcanum, in quo stante et vestito leviter appareat claudicatio non deformis *). de Natura Deor. I, 30. Inter picturas Jalysus Protogenis **) et Coa Venus Apellis maxime celebratur ***). Orat. c. 2.

Quae quum ita sint, Cicero prudens et intelligens artis operum existimator habendus est. Cur autem in Verrinis artis opera se parvi aestimare simulaverit, hae potissimum causae fuisse mihi videntur.

Verres qui esset rerum quae ad artes spectant cupidissimus haberique vellet intelligens, in conquirendis signis, tabulis, omnis artificii deliciis modum excesserat omnem. Per triennium in Sicilia, quum successisset C. Sacerdoti praetori, tanta avaritia et libidine in Siculos grassatus erat, ut vel minis vel fraude non privata solum sed etiam publica bona diriperet delubraque omnia sanctissimis religionibus consecrata depecularetur. Atque quum maior in eo esset cupiditas quam intelligentia, in praedis atque furtis suis Tlepolemi et Hieronis, fratrum istorum Cibyratarum, opera consilioque usus est, qui simulatque in oppidum quodpiam venerant, instar canum venaticarum, ut investigarent et perscrutarentur omnia, immittebantur. Verrin. IV, c. 13. Hac ratione nihil iste, quod affabre et antiquo artificio factum videretur, neque publici neque privati, neque profani neque sacri tota in insula reliquit †). Cuius facti atrocitas non potuit quin eo maiorem indignationem moveret, quo certius sibi persuaserunt iudices studia ista, ex quibus haec flagitia orta essent nefanda, levia esse et contemnenda.

---

*) Alcamenes artificibus summis, Phidiae et Polycleto aequiparatur. Quint. XII, 10. Dionys. Hal. de Demosth. acum. T. VI. p. 1108. — De Vulcano Valerius Maxim. VIII, 11. *Tenet visentes Athenas Vulcanus Alcamenis manibus fabricatus. Praeter cetera enim perfectissimae artis in eo praecurrentia indicia etiam illud mirantur, quod stat dissumulatae claudicationis sub veste leviter vestigium repraesentans, ut non tamquam exprobratum vitium, ita tamen certam propriamque notam decore significans.*

**) Plin. H. N. XXXV, c. 10 s. 36. *Palmam habet tabularum eius Jalysus, qui est Romae — Propter hunc Jalysum ne cremaret tabulam Demetrius rex, quum ab ea parte sola posset Rhodum capere, non incendit: parcentemque picturae fugit occasio victoriae.*

***) Venus primarium Apellis opus fuisse dicitur Propert. III. 7, 11. Antipat. Sid. Anthol. II, p. 15. Strabo XIV. p. 657.

†) Verrin. IV, 1. *Nego in Sicilia tota tam locupleti, tam vetere provincia — ullum argenteum vas, ullum Corinthiacum aut Deliacum fuisse, ullam gemmam aut margaritam, quidquam ex auro aut ebore factum, signum ullum, aeneum marmoreum, eburneum, nego ullam picturam neque in tabula neque textilem fuisse, quin conquisierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit.*

Verr. I, cap. 15. *Deum denique nullum Siculis, qui ei paullo magis affabre atque antiquo artificio factus videretur, reliquit.*

Verrin. III, 4. *Quid? hoc cuiquam ferendum esse putas — Verrem esse qui cum L. Mummio certet, ut plures hic sociorum urbes, quam ille hostium expilasse videatur? plures hic solus villas ornamentis fanorum quam ille fana spoliis hostium ornasse.*

Quamobrem Cicero qui talia curent elegantes dicit et ingeniosos, studia deliciasque eorum irridens. Idem ubi ostendit quam studiosus fuerit Verres huius existimationis, ut putaretur intelligens, hanc laudem praeclaram appellat. Verr. IV, c. 15, § 33. Quae vox ne secus atque vellet intelligeretur, paullo ante apertius sententiam suam declaraverat hisce verbis: tametsi hoc nescio quid nugatorium sciebam ista intelligere. Atque quoniam accusator cavere debet, ne quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehendatur, opinio istorum studiorum, ne orationis suae auctoritas imminueretur, quam maxime ipsi evitanda erat. Itaque iterum iterumque profitetur se ipsum multa quidem artis opera vidisse, sed nunc demum artificum nomina cognosse; quam maxime cavet ne signa et tabulas permagno aestimare videatur, et tantum abest, ut intelligentiam sibi vindicet, ut in idiotarum numero haberi non recuset. Deinde ne Verris criminibus inde patrocinium parari posset, quod res parvi aestimandas et contemnendas furatus esset, Cicero spectari debere contendit, quanti fierent a Graecis artis opera, non quanti facienda essent. Graecos enim nimium haec mirari (§ 60); ex illorum querimoniis intelligi posse haec illis acerbissima videri, quae forsitan Romanis levia et contemnenda viderentur (§ 59), mirandum in modum Graecos rebus istis, quas Romani contemnerent, delectari (§ 60); haec illis esse oblectamenta et solatia virtutis (ibid).

Revera nullo unquam tempore Romani tanto artium fingendi pingendique amore, quanto Graeci, exarserunt. Nam principio studiis belli victuique ex agris colendis parando dediti propter assiduos domi militiaeque labores artibus liberalibus vacare non potuere. Non plane illi quidem carebant artis operibus, sed vel regum temporibus simulacra Romae posita esse dicuntur. Verumtamen ut Capitolium perfectum est fabris undique ex Etruria adcitis (Liv. I, c. 56), sic etiam signa illa maximam partem Etruscis artificibus debebantur. cf. Winckelmanni Hist. art. Op. V. pag. 295 sq. Neque primis reipublicae liberae temporibus quum bellum ex bello sererent certaminibusque inter plebem et patricios ortis discordia laborarent Romani, mollior ille sensus, qui artium incrementa et cultum continet, aut nasci aut conformari potuit. Picturae quidem operam dedit qui ex ea cognominatus est Fabius, eidem tamen quod pingeret laudi datum non est. Cic. Tuscul. I, c. 2. Post Pacuvium certe poetam eundemque pictorem haec ars, in quam Graecos omni tempore, cuius quidem memoria exstet, maxima cum laude et gloria incubuisse constat, ingenuorum hominum manibus desita est tractari*). Nimirum tantus rei militaris civitatisque administrandae amor Romanorum animis innatus erat, ut artium laudem Graecis libenter concederent, praeceptorum olim ab Anchise datorum haud immemores:

Excudent alii spirantia mollius aera;
Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;

*) Plin. Hist. N. XXXV, cap. IV, s. 7. *Postea non est spectata honestis manibus.* Augusti aetate inter pictores excellebat Ludius, de quo Brunn II, p. 306.

Hae tibi erunt artes; pacisque imponere morem,
Parcere subiectis et debellare superbos *).

Quibus rebus factum est, ut Romae ante secundum bellum Punicum artis opera neque multa neque praeclara exstarent. Marcellus primus Syracusis captis signa pulcherrima, summo artificio, summa nobilitate Romam transportavit. cf. Liv. XXV, 40. XXVI, 21. Polyb. IX, 10. Cicero Verr. IV, c. 52 § 120. Quorum ingens admiratio **) quum Romanorum animos cepisset, effrenata ista civitates spoliandi earumque monumenta Romam asportandi cupiditas orta est. Cui cupiditati ut satisfieret, non solum hostes devicti expilabantur, sed etiam socii amicique vexabantur. Imprimis in Graeciam Romanorum libido iniquitasque pervasit. Ex hac terra T. Q. Flamininus, qui regem Philippum et Macedoniam subegerat, artium opera primus deportavit, Liv. XXXIV, c. 52. Paucis interiectis annis exemplum illius secuti sunt L. Scipio Asiaticus et Q. Fulvius Nobilior, quorum alter vasa caelata, triclinia aerata, vestes Attalicas Romam transtulit (Plin. Hist. N. XXXIII, s. 53. XXXVII, s. 6. Liv. XXXIX, 6.), alter ducentas octoginta quinque aeneas et ducentas triginta marmoreas statuas ex Graecia avehendas curavit. (Polyb. XXII, 13. Plin. Hist. N. XXXV, c. 10. s. 36. Liv. XXXIX, 5.) Neque qui postea exercitibus praefuere satis aequo animo urbibus captis relinqui monumenta pati potuisse videntur. Nam ut omittam Cn. Manlium (Plin. Hist. N. XXXIV, s. 8), quum L. Aemilius Paullus per triduum ageret triumphum, primus dies vix suffecit transvehendis signis tabulisque captivis, in ducentos quinquaginta currus impositis ***). Haud minor fuit praeda Caecilii Metelli, cuius victoriae de Pseudophilippo reportatae tum alia simulacra accepta referebat Roma, tum egregia illas Lysippi statuas equestres (Vellej. Paterc. I, 11; Plut. Alex. 16. Cicero pro Mur. 14.). Denique non solum statuis sed etiam tabulis pictis egregiis Mummius Corintho capta et excisa Italiam replevit. Plin. Hist. N. XXXV, 8. Strabo VIII, p. 263. Paus. VII, 16.

Ac primum quidem imperatores Romani simulacra, vasa caelata, triclinia aerata, tabulas pictas rapientes id potissimum agebant, ut artis operibus aut triumphum, quem ducturi essent, ampliorem et honestiorem redderent, aut urbis porticus, templa, fora exornarent. Italiam enim ornare quam domum suam maluerunt. Cic. de Offic. II, 22. cf. Verrin. IV, § 120. Postea vero, imprimis bello Achaico confecto imperatores in itineribus suis obvia

---

*) Virgil. Aen. VI, v. 848 sqq.

**) Liv. XXV, 40. *ceterum inde primum initium mirandi Graecarum artium opera licentiaeque huic sacra profanaque omnia vulgo spoliandi factum est.*

***) Plut. Aemil. Paull. c. 32. τῆς δὲ πομπῆς εἰς ἡμέρας τρεῖς νενεμημένης, ἡ μὲν πρώτη μόλις ἐξαρκέσασα τοῖς αἰχμαλώτοις ἀνδριᾶσι καὶ γραφαῖς καὶ κολοσσοῖς ἐπὶ ζευγῶν πεντήκοντα καὶ διακοσίων κομιζομένοις, τούτων ἔσχε θέαν. cf. Vellej. Pat. 1, 16. Cicer. de Off. 2, 22.

quaeque, ut ornamenta pararent villis atriisque suis, diripiebant *), et quae reliqua fecissent, aut milites rapiebant gregarii **) aut in ipso pacis otio furabantur magistratus.

Italia inferiore, Macedonia, Graecia, aliis terris devictis quum Romae tanta esset simulacrorum multitudo, ut incolarum numerum fere aequaret, quis credat multos inventos esse similes Mummii, qui capta Corintho quum maximorum artificum manibus perfectas tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, praedici iussit conducentibus, si eas perdidissent, novas ab ipsis reddi oportere. Vellej. Pat. I, 13 ***). Verum enim vero, quo tempore tota urbs omnesque fere Italiae partes signis tabulisque pictis iam exornatae erant, plures idiotae quam intelligentes inventi sunt. Nam plerique publicarum rerum cura distenti et distracti ne otio quidem fruebantur ad fructum aliquem ex egregiis Graeciae spoliis percipiendum. Plinius certe summis laudibus Veneris statuam extollens Romae quidem, inquit, multitudo eam obliterat, ac magni negotiorum officiorumque acervi omnes a contemplatione talium abducunt, quoniam otiosorum et in magno loci silentio apta admiratio talis est. Plin. Hist. N. XXXVI, c. 4. s. 4. Satis igitur habebant semel talia opera vidisse †), vel magnificentiae et splendoris amore incensi domicilia urbana et villas non solum stragulis, tapetibus, exquisita omnis generis supellectile, sed etiam picturis et statuis ornabant. Immoderata saepe talium rerum possidendarum cupiditate tenebantur, ut Verres, qui tantam aureorum argenteorumque vasorum copiam habuisse dicitur, quantam totius Siciliae artifices vix intra octo menses conficere poterant (Verrin. IV, 24); verumtamen qui sentire et agnoscere artis operum pulchritudinem et elegantiam possent, perpauci fuere ††).

---

*) Perpauci tantum ab hoc vitio erant alieni ut Pompeius, cui a Cicerone maximae laudi datur, quod signa et tabulas ceteraque ornamenta Graecorum oppidorum, quae ceteri tollenda arbitrentur, ne visenda sibi quidem existimaverit. Cic. pro lege Mamil. c. 14. Idem Quinto fratri haec scribit: *Tu quum pecuniae, quum voluptati, quum omnium rerum cupiditati resistes, ut facis: erit, credo, periculum, ne improbum negotiatorem, paullo cupidiorem publicanum comprimere non possis! Nam Graeci quidem sic te ita viventem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria aut etiam de coelo divinum hominem esse in provinciam delapsum putent. — Praeclarum est enim summo cum imperio fuisse in Asia triennium sic, ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis — ab summa integritate continentiaque deduxerit.* epist. ad Q. Fratrem lib. I, 1.

**) cf. Sall. Catil. c. 11.

***) De eodem Mummio haec apud Plinium leguntur: *Cum in praeda vendenda rex Attalus VI sestertium emisset Aristidis tabulam, Liberum patrem, pretium miratus suspicatusque aliquid in ea esse virtutis, quod ipse nesciret, revocavit tabulam, Attalo multum querente, et in delubro posuit.* Hist. N. XXXV, c. 4. s. 8. Μεγαλόφρων γὰρ ὢν μᾶλλον ἢ φιλότεχνος ὁ Μόμμιος. Strabo VIII, p. 381.

†) Tacitus de poetis neglectis querens *Quotusquisque*, inquit, *Saleium Bassum requirit? atque adeo si quis requirit, ut semel vidit, transit et contentus est; ut si quis picturam aliquam vel statuam vidisset.* Dialog. de oratt. c. 10.

††) Brunn, Hist. graec. artif. I, p. 617: *Die griechische Kunst gewann einen ausgedehnten Einfluss*

Imperita multitudo tantum abfuit ut Mummio imprudentiam vitio verteret, ut in laude poneret. Etenim cum divitiis immensis luxuria, avaritia omniaque vitiorum genera Romam immigraverant. Mores depravati populorum qui in potestatem et tutelam Romanorum venerant, feroces victorum animos adeo corruperunt et enervarunt, ut in paucis tantum pristinarum virtutum vestigia remanerent. Non est igitur quod miremur fuisse complures, qui maiorem suorum simplicitatem et frugalitatem desiderantes tam iniusto in Graecos odio inflammati essent, ut etiam artes et literas, quippe a Graecis inventas, respuerent et contemnerent. Itaque oratores apud populum verba facturi id maxime curabant, ut primum quam minimum artificii alicuius, deinde nullam Graecarum artium significationem darent. Sic Antonius et Crassus, Cicerone puero eloquentiae laude clarissimi, quamquam Graecis literis imbuti erant, tamen ita se uterque graviorem fore censebat, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur. Cic. de Orat. II, 1 *). Praesertim artes in figuris fingendis versantes, quae luxuriae instrumenta viderentur, non solum volgus ab omni elegantia remotum improbabat, sed etiam viri omnis generis literis imbuti nimiam earum aestimationem reprehendebant. Marcellum Plutarcho teste vituperaverunt patres, primum quod invidiam conflaret urbi, in qua non modo homines sed etiam deos bello captos per triumphum duceret, deinde quod populum aratro subigere terram et gladio rem gerere adsuetum, ab omni vitae elegantia et luxu remotum, urbanorum hominum more de artibus artificibusque garrire et maximam diei partem in artis operibus et intuendis et admirandis consumere adsuefaceret **). Catonis quae fuerit sententia,

---

in Rom nicht zur Zeit des Entstehens seiner politischen Macht, wo sie noch mit den übrigen Einrichtungen im Staate und in der Religion innig hätte verwachsen und selbständig gedeihen können. Sie fand nicht Eingang durch ein tieferes und innerlicheres Bedürfniss des Volkslebens. Rom stand bereits auf der Höhe seiner Macht, und mit derselben und den sich bald ins Unermessliche mehrenden Reichthümern begannen bereits die strengeren Bande der Sitte, der Religion, des Staats sich zu lockern. Die Kunst sollte also hier vor Allem der Verherrlichung der Macht, dem Glanze und dem Luxus dienen. Man nahm sie auf als einen Schmuck, zunächst ganz, wie man sie in der Fremde fand; ja da Seltenheit und ein theurer Preis den Werth eines Kunstwerks in den Augen der Römer zu erhöhen schien, so suchte man mehr die Werke früherer als noch lebender Künstler.

*) Cicero Antonium haec dicentem facit: *Atque idem ego existumari pecudis esse, non hominis, quum tantas res Graeci susciperent, profiterentur, agerent, seseque et videndi res obscurissimas, et bene vivendi, et copiose dicendi rationem hominibus daturos pollicerentur, non admovere aurem, et si palam audire eos non auderes, ne minueres apud tuos cives auctoritatem tuam, subauscultando tamen excipere vocem eorum, et procul, quid narrarent, attendere. Itaque feci, Catule, et istorum omnium summatim causas et genera ipsa gustavi.* de Orat. II, c. 36.

**) Μάρκελλον δ' ᾐτιῶντο, πρῶτον μέν, ὡς ἐπίφθονον ποιοῦντα τὴν πόλιν, οὐ μόνον ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ θεῶν αἰχμαλώτων ἀγομένων ἐν αὐτῇ καὶ πομπευομένων· ἔπειτα ὅτι τὸν δῆμον εἰθισμένον πολεμεῖν ἢ γεωργεῖν, τρυφῆς δὲ καὶ ῥαθυμίας ἄπειρον ὄντα, καὶ κατὰ τὸν Εὐριπίδειον Ἡρακλέα

φαῦλον, ἄκομψον, τὰ μέγιστ' ἀγαθὸν

σχολῆς ἐνέπλησε καὶ λαλιᾶς, περὶ τεχνῶν καὶ τεχνιτῶν ἀστεϊζόμενον καὶ διατρίβοντα πρὸς τούτῳ πολὺ μέρος τῆς ἡμέρας. Plut. Marcell. c. 21

ex oratione quam habuit in senatu apparet: Saepe me querentem de feminarum, saepe de virorum, nec de privatorum solum sed etiam magistratuum sumtibus audistis, diversisque duobus vitiis, avaritia et luxu, civitatem laborare: quae pestes omnia magna imperia everterunt. Haec ego quo melior laetiorque in dies fortuna reipublicae est imperiumque crescit, — et iam in Graeciam Asiamque transcendimus, omnibusque libidinum illecebris repletas et regias etiam adtrectamus gazas, — eo plus horreo, ne illae magis res nos ceperint, quam nos illas. Infesta mihi credite signa ab Syracusis illata sunt huic urbi. Jam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, et antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes. Ego hoc malo propitios deos, et ita spero futuros, si in suis sedibus manere patiemur. Liv. XXXIV, c. 4. Etiam sequentibus temporibus plures Catonis similes exstitere. Vellejus Paterculus (I, 13), ut omittam alios, de Mummii imprudentia agens: Non tamen, inquit, puto, dubites, Vinici, quin magis pro republica fuerit manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi, et quin hac prudentia illa imprudentia decori fuerit convenientior. Imprimis poetae aequalium mores cum prisca vivendi ratione comparantes et felicius vixisse et securius censent homines quo tempore

rudis et Graias mirari nescius artes
Urbibus eversis praedarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles*).

Laudatoribus igitur pristinae virtutis, simplicitatis frugalitatisque artis opera intueri, admirari, suspicere otiosorum et mollitie diffluentium hominum esse videbatur. Fuere quidem qui eruditos haberent oculos quantaque vis esset ad omnes virtutes in pulchri sensu excitando et alendo perspicerent, verumtamen iidem, ut Cicero, ne in vulgi reprehensionem incurrerent, in foro iudicioque intelligentiam dissimulabant.

*) Juvenal XI, v. 100 sqq. Similiter Plin. XXXV, s. 45. 46.

